

Cap. XLVII. R.ca. De hiis qui possunt admitti et esse ad officia civitatis Tergesti. Et de hiis qui insimul in uno offitio esse non possunt. Ac etiam de hiis qui exire debent de consilio occasione parentele et de albis brevibus extrahendis pro ipsis. R.ca. 5

77 A **S**tatuimus quod quilibet civis Tergesti possit eligi ad offitia civitatis Tergesti, et ipse civis ipsum offitium habere possit, si fuerit confirmatus, quamquam non esset de maiori consilio; et si fuerit confirmatus in aliquo // offitio curie quod pertinet ad maius consilium, sit de dicto maiori consilio et habeat breve et ballotas ut alii consiliarii, durante ipso in dicto offitio. ¶ Salvo quod in electione iudicum civitatis Tergesti eligi debeant homines etatis triginta annorum qui sint de maiori consilio. ¶ Et quod quicumque fuerit civis alterius civitatis terre sive loci, preterquam civitatis Tergesti, nullum offitium habere debeat in civitate Tergesti, nisi fecerit dominio Tergesti bonam securitatem mille libr. par. de obediendo mandatis domini Tergesti sibi factis in persona et bonis, et de non conquerendo alteri dominio sub pena mille libr. par. ¶ Et quod quilibet a modo in antea habuerit aliquod offitium de quo percipiatur salarium de camera comunis, ipsum offitium habere non possit infra unum annum post eius exitum dicti offitii, et ab exitu sui offitii in ante vacare debeat ab omni offitio per unum annum, exceptis fontechario comunis et eius notario, qui vacare debeant a dicto offitio per duos annos, et exceptis vicedominis comunis, providitoribus comunis et eorum notario, notario extimatorum, procuratoribus feni et aliis offitiales specificatis in statutis civitatis Tergesti, qui tales offitiales sic exceptati quodlibet aliud offitium et ipsum idem offitium ab exitu eorum offitii in antea habere possint, si fuerint confirmati. ¶ Salvo quod notarius extimatorum de ipso offitio extimarie vacare debeat ab eius exitu(m) per unum annum. 77 B ¶ Et quod in quolibet offitio, quando // fiunt iudices sive rectores, cancellarii, camararii, cancellarius sub logia, 35